



20





PHILOSOPHIAE PVLCRI
IN SCHOLIS TRADENDAE
FINES ET RATIO.

AD
ORATIONEM
IN
SOLEMNITATE SECVLARI,

QVAE
A. D. XIX. DEC. A. R. S. CIOIOGCLXXV.
GYMNASIO NOSTRO
REDIT
HABENDAM,
QVI SCHOLAE NOSTRAE VEL PRAESVNT
VEL FAVENT
OFFICIOSISSIME INVITAT OMNES
IOANNES AVGVSTINVS WAGNER
CONRECTOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



PHILOSOPHIAE PVLGRI

IN SCHOLA PVLGRI
PINES ET RALIO

ORATIONEM

SOLENNITATE SECULARI

IOHANNES AUGUSTINUS WAGNER





Non vltima laus apud posteros erit huius aetatis no-
strae, quod, missis vanis atque inertibus quere-
lis, si qua videret, vti in republica omni, ita in
scholis inprimis, quae vel mutanda in melius,
vel plane abiicienda viderentur, manum ipsam adnoueret
cogitaretque de remedijs, nisi praesentibus, ad posteros ta-
men certissime valiturus. Feruet hoc laudabile studium
cum maxime, et, vt quisque est patriae amantissimus, ita
gestit maxime in istius laudis societatem venire, ita consilijs,
auctoritate, opibus adeo, spem patriae inuat, adolescentu-
los. Tam largus est, tamque felix librorum, libellorumue
in hoc genere prouentus, vt, nisi aliam nunc scholae for-
mam induant, omnis in posterum spes abiicienda esse vi-
deatur. Equidem cupide vndique, quae valere possint ad
melius, feliciusque instituendos iuuenes nostros, arripio;
videor tamen deprehendisse scriptores haud paucos, qui-
bus optimam inesse voluntatem nollem ego quidem nega-
re, qui tamen, nouitaris potissimum gratiam aucupantes,
consilia darent ea, quae sequi, quantumuis velis, nequeas.
Est omnino Germanorum nostrorum proprium, vt, quod
semel in delicijs esse coeperit studij, calidius iusto argue-

ambitiosius persequantur. Idem igitur fieri videmus in scholis emendandis, ad quas concurrunt, atque contolant omnes, tanquam ad aedes, quae, nisi ruinam minentur, magnum tamen vitium faciant. Vndique auxiliatrices manus conferuntur, suam quisque operam, vocatus et non vocatus, affert. Sunt in his destruendi mire artifices, qui tamen, quae reponant, meliora non habeant. Alii, iique liberaliores, materiam congerunt, non inutilem illam quidem, sed quae huic aedificio nostro non satis accommodata sit. Est profecto iucundissimum, ad istam bonorum virorum turbam prospicere, qui, quanquam cupidius nonnulli, nullaque cogente necessitate, mutanda in scholis omnia suadent, saepe etiam, ut fit in hac tali trepidatione, iurgii inter se atque rixis committuntur, quas tamen et ipsas potest spectator in suos usus conuertere. Licet tamen hoc loco confiteri, minime omnium facere mihi satis, qui tradendarum in scholis rerum temere numerum auctum volunt. Memini legere, qui, ut his vtar, prudentiae iuris, artisque medicae initia tradenda in scholis suaderent, eo fortasse consilio, ut haberet iuuentus, quo et bona aliquando, et sanitatem tueretur. Audio. At vero, boni viri! nimis honorificam fouetis de scholae magistris opinionem. Non omnia possumus omnes, nec, si possemus, luberet falcem in alienam messem immittere. Morem geramus lubentius, si quis Alchymiam nobis velit, non suadere tantum, sed et libellum ipse conscribere, qui perspicue doceat artem istam egregiam, qua vel sola in scholas aurea possint secula reuocari.

Nolim tamen hanc meam de non augendo temere doctrinae scholasticae orbe sententiam quemquam trahere eo, ut putet, me velle antiquare leges omnes, quae de nouis institutis feruntur, quod faciunt plerumque, qui vo-
lunt

lunt laborem subterfugere, a qua suspicione vel haec scri-
ptiuncula me, quod spero, liberabit: ager enim de Philo-
sophia pulcri, Aestheticam alii appellant, quam et ipsam,
ignoratam a maioribus nostris, ab aliquo demum tempo-
re in scholas inuexere harum rerum peritissimi. Coepit
nimirum ex eo tempore, quo Germania caput primum ex-
tulit, et, quam in aliis gentibus, Anglis praesertim, et
Francogallis videret, gloriae aemula, scientias artesque ex-
coluit, quae a pulcritudinis sensu solent commendari —
coepit igitur ex eo tempore res eo vergere, vt iuventutem
ipsam hoc pulcritudinis sensu imbuendam esse suaderent
omnes, quibus curae esset communis patriae honor. Fue-
re tamen, et sunt etiam nunc, qui in alia omnia discendant
ita, vt noxiam adeo hanc totam rationem esse contendant
Nondum conciliari potuere litigantes, nec defuit vtrique
parti, quod suae causae praetenderet. Quum igitur iube-
ret a Viris, quibus obtemperare religio fuit semper, vt con-
scriberem in hac nostra solemnitate seculari, quod non pla-
ne abhorreret a re scholastica, venit in mentem, Philoso-
phiae pulcri in scholis tradendae fines regere, rectamque
eius docendae viam monstrare.

Prodeat igitur Philosophia pulcri mea, quae nec Dio-
genis oleat sordes, nec lautitias spiret Aristippi. Prodeat
matrona honesta, atque pudica, quae modestam vultu, ge-
stu, cultu praeferat, quae neminem laedat, immo cupiat
vtriusque partis gratiam intrare, quae in re agenda ita verfe-
tur, vt, ingenii nouitatisue secura, solius veritatis ratio-
nem habeat, quae, quod facere solent nondum adfueri iu-
ri dicundo indices, si haereat, ampliet.

Scio equidem, fore aliquos, eosque disciplinae suae
nimis tenaces, qui limine ipso excludant bonam meam mu-
lierculam, vtpote quae eo perniciosior sit, quo blandius ani-

nis iuuentum se insinuet. Actum est, ita aiunt, de omni eruditione, si irrepere hanc talem labem pariamur. Quid, quaeso, fiet de iuuenibus, quos vel sic non satis possumus ab sensuum oblectamentis auocare, quid fiet, si tu velis nova iis voluptatis adiumenta dare? Suavis esse potest ad sensus ista tua philosophia, personabit versiculis angulus quisque, elegantias, nescio quas, crepabunt vbique iuuenes, prodibunt ex scholis homines belluli, qui vernacula lingua vti volubiliter, Latine Graeque omnino non possint. Immo vero subigendi sunt pueri feueriori literarum Graecarum et Latinarum disciplina, discant, quae ad intelligendos recte, explicandosque veteres valeant. His, his continetur, quicquid pulcrum est, et elegans, et acutum et magnificum. Vultis ad pulcritudinis acui sensum? At legatis Aristotelem, Longinum, Ciceronem, Quintilianum, quos qui veller prae recentioribus vestris contemnere, quid faceret aliud, quam qui limpido fonte relicto, turbidos mallet rivulos confectari?

Nolite vero, optimi viri! ad iram concitari, omnium vero minime irasci mihi, qui, quod forte miraturi estis, fere in omnibus secundum vos pronuncio. Sic igitur scitote, eam mihi semper sedisse sententiam, vt pueros crederem feueriori Grammatices disciplinae adstringi, memoriaeque mandare debere multa, quae, si tum non intelligant satis, vsfum tamen iis praestent egregium ad felicius versandos scriptores antiquos. Quem laborem si tandem superaerint, velintque nunc laetorem aliquem campum ingredi, quis, quaeso, esset morosus ita et difficilis, vt nollet comitem se iis dare? Nec tunc cessare iubeo feueriorum disciplinam, immo quotidiana interpretandi, scribendique exercitatio dominetur vel maxime; hoc tamen volo, vt non intra verba amplius, formulasque loquendi consistant, sed
varie

varietate quadam, non diffusa illa, sed vili, adiciantur ad
 lubentius legendos auctores prisca. Quodsi vero histo-
 riae antiquae omni, ritibus moribusque Graecorum et Ro-
 manorum enarrandis, Mythologiae, aliisque, sine quibus
 in illa veterum scriptorum intelligentia nunquam potest habe-
 ri, his igitur, si Philosophiam pulcri adiunctam velim, quid
 reprehendatis magnopere, non video. Laudem adeo ve-
 stram, cuius cupidum valde me esse profiteor, consequi spe-
 ro, si denuo, idque ex animo confirmo, interiores esse li-
 teras maxime, quibus imbuendi sint, si qui velint iuvenes
 ad verae eruditionis laudem aspirare; quo fit, ut quotidie
 moneam adolescentulos nostros, nolint Graecas et Latinas
 literas contemnere, quae sui contemptum certissime viciscan-
 tur, quas si neglexerint, cogantur adeo in rebus, quae
 sensu pulcri constant, vel maxime obmutescere.

Recte haec omnia, diceris. Necessitatem igitur sen-
 sus ad pulcritudinem acuendi conceditis? Concedimus, id-
 eoque Aristotelem nos, Cicronem, Longinum, Quintilia-
 num legimus. Quid tu facias, nihil curamus. Lego vero
 eosdem et ego, magnaue cum voluptate; Quintilianum
 in primis scholae magistro nunquam e manibus deponen-
 dum censeo. Lego vero etiam *Honium, Gerardum, Moser*
Berolinensem, Riedelium, Lessingium, Winkelmannum. Nec
 poenitet. Quos viros, si possitis ab animis vestris impe-
 trare, ut legeretis, non indignos profecto vestrae amicitia
 fateremini. Equidem legem mihi scripsi eam, ut, non quis
 dicat, sed quid dicatur, spectem. Videor etiam animad-
 vertisse, recentiores multa melius, magis perspicue, ad po-
 pularem intelligentiam accommodatius, vno denique loco
 tractare, ubi veteres illi boni vel strictim, vel tenuiter ni-
 mis aeque subtiliter, vel non satis accurate versati fuissent.
 In quo si recte vidi, videre vero et alii, auctor sum, ut iu-
 veni-

uenibus, qui non possunt, etiamsi velint, veteres de arte pulcri scriptores intelligere, tradantur initio in manus recentiores, qui lingua patria vsi de hac arte praeceperunt.

Video frontem contrahere aliquos, quod patriae linguae mentionem fieri audiant. At bona verba! Explicate, quaeso, frontem. Amo hilaritatem, nec offendet, scio, quenquam vestrum sinceritas mea. Quicquid dico, amore iuuenum dico. Nolo tamen vos mihi credere, nisi hanc patriae linguae necessitatem in scholis probauerim.

Primum igitur huc valet, quod modo dixi, non exigi posse a iuuenibus veterum, Graecorum inprimis, de arte pulcri scriptorum intelligentiam. Deinde experientia vos ipsos edocuit, esse in iuuenibus multos a natura tardiores, plures, qui nolint ingenio uti, paucos, qui et possint et velint veteres scriptores recte tractare. Illos Graeca Latinaue lingua nunquam esse profecturos, certe praecuidemus, quidni igitur eo saltem ducamus, ut quae cogitent, possint lingua vernacula utcumque et verbis et scriptis promere? Tum porro cogitatis, ante hos quinquaginta annos vix quidem fuisse operae pretium, linguae patriae multum temporis tribuere: Quam vero habeat haec aetas nostra praestantissimos in quoque genere scriptores, quibus exterae adeo gentes inuideant, faceremus profecto iniuriam patriae communi, si, sola veterum admiratione ducti, nihil boni in ciuibus agnoscere, et velut in ipsis aedibus nostris vellemus peregrinari. Sed haec haecenus.

Redeo ad Philosophiam pulcri, ad quam, nisi exosculandam, admittendam tamen, si, quae attuli, nondum possint valere, age auctoritate virorum quorundam utar, quos iudices spernere nefas ipsi puteris. Ad *Gellertum* quidem, quanquam Germaniae nuper decus eximum, pronocare vix audeo, quem timeo, ut pro locuplete satis teste habeatis.

tis. Faciam tamen; placebit viri sinceritas. Is igitur saepe, quod solebat, apud amicos questus est, quod non opportunitate frui ea poruisset iuuenis, quam haberent nunc scholae. Ita vero est. Debetur hoc imprimis Gesnero atque S. R. Ernestio, qui egregii Duumviri diu quidem pugnarunt, eicere tamen, ut sanior in scholas disciplina rediret. Et Gesnerus quidem, quanquam Graece, Latineque doctissimus, tantum absuit, ut sensum pulcri contemneret, ut potius eundem iuuenibus suis, tum in schola Thomana, tum in Academia Goettingensi, commendaret impense, nec dubitaret adeo, e cathedra dicere aliquando: *Doctorem de schola debere linguae patriae pene magis peritum esse, quam latinae.** Cel. vero Ernesti, ad cuius vel nomen astringit, quisquis bonas literas amat, cum alibi ** tum in Praefat. ad Archaeologiam literariam: *Ego vero, inquit, cum ille, (locutus fuerat de Gesnero) a nobis abisset, hanc rationem oppugnare coepi, cum magna tum invidia mea apud multos, aliam, veterem illam, veram et severam, scribendo; docendo maxime, commendans nostris, et Gesnerus faciebat apud suos, h. e. quae ad accuratam interpretationem per iustam scientiam linguarum adduceret, quae doctrinae omnis copiam e scriptoribus graecis et latinis recte intellectis haurire iuberet, quae indolem verae eloquentiae et eius petendae viam demonstraret, quid recte, eleganter, acute, venuste, magnifice dictum esset, indicare doceret, quae ingenia formaret, quae sensu honestatis et virtutis admiratione, vitiorum odio imbueret animos. Quae omnia tam vere, tam pulcre dicta sunt, ut nolim repugnare, si quis tam paucos tam magni*

* vide Ehus Isagogen in Erudit. vniu. edit. Niclas Lips. 1774. p. 100. cf. et 280.

** v. Ernesti Narrationem de I. M. Gesnero Lips. 1762. in Schulordn. für die Churfürstl. Fürstenschulen Dresd. 1773. p. 59.

magni Viri versiculos pluris habeat, quam totum hoc meum opusculum.

Explicatis iam, video, frontem, subridetis. Quod grato animo agnosco, vobisque facilem me praebeo ita, vt ex vltima antiquitate, quam vos vnice amatis, sententiam meam, nisi probare, illustrare tamen audeam. Legistis de Catone Censorio? *Multa legimus, egregia omnia. Is vero vir fuit, quales si multos haec nostra aetas haberet* — Haber, vos estis Catones. *Abi cum tua isthaec assentatione, quid Cato?* Romam eius tempore venerant Philosophi quidam Graeci, quos quum sectaretur iuuenum Romanorum optimus quisque, vrbe expellendos illos edixit Cato, eam ob causam, quod virtutem in iuuenibus bellicam frangerent. Abiere illi tum quidem, at vero tantus ardor inuaserat iuvenes Romanos, vt Philosophia Graeca, tanquam numine pleni, aliis omnibus studiis abiectis, discendae Philosophiae et eloquentiae causa in Graeciam proficiscerentur. Quod quum Cato videret, inuectus est, fateor, in seculi sui mores. *Sic fecit, quod esset Catonis.* At nondum scitis omnia. *Quid igitur amplius?* Literas Graecas didicit ipse — —

Iam ad vos venio, qui sensum pulcri in scholis acendum maxime censetis. In quo me consentientem quidem habetis, qui verissima esse puto, quae *Homius* habet: (*Grundsätze der Kritik. Leipz. 1772. T. I. p. 10.*) *Post aliquot annos, inquit, in discendis linguis consumtos, ab omnibus aliis imparati, ad profunda Philosophiae adyta protrudimur: quo non potest excogitari, quod magis faciat ad deterrandos teneros ab interioribus literis iuuenum animos. Videtur autem Philosophia pulcri medius quasi annulus esse, quo possint faciliores et grauiores scientiae in vnam quasi catenam, quam optissime connecti.* Verissima sunt, inquam, haec omnia. At vos, quod pace vestra dixerim, similes estis eorum, qui vix im-

missi

missi in partem agri, ultra limites salunt, legitimos vero ac diu possessores expellere toto agro volunt. Quod ne fiat, cauere aequi iudicis est. Ster igitur sententia, quam antea dixi: Habeat feuerior Graecarum et Latinarum literarum disciplina, habeant interiores literae primum in scholis locum, his demum addantur, tanquam praemia industriae, amoeniores scientiae, in his Philosophia pulcra. Non inanis est atque vanus timor eorum, qui, quum neglectas hodie videant bonas illas literas, elegantissimam barbariem imminere Germaniae nostrae praefagiunt. Non moror bellulos illos, atque Graeculos homines, quos, si pingere vellem, difficile esset, satiram non scribere. Ego vero subtimidus, nec bonis dictis armatus, nolim inire pugnam, ex qua inferior sine dubio discederem. Adeat, cui est uolupte in notitiam istorum veniri, Iuuenalem, Martialem in primis Lib. III, 63. Sunt vero alii, in his scholarum adeo magistri, qui quod audierant, magnum esse in pulcra sensu momentum ad scite res agendas, gratiamque in celebritate hominum colligendam, nulli quidem operae parcant, ut ingeniosi atque liberales habeantur, nec contemnunt adeo veteres; sed delectentur tamen recentioribus magis, quos famam ingenii aliquam habere audiunt. Multa vero possunt occurrere in his recentioribus, quae sunt ex antiquitate deprompta; quid tum? Confugiunt ad Dictionaria, quae vocant, translatosque a nostris, vel Francogallis veteres. Quam rationem si pateremur latius serpere, in scholis praefertim, studium omne eruditionis rectae atque iustae refringeret, mox adeo extingueretur. Fallitur egregie, si quis e recentiorum versioibus velit animas veterum in se derivare, quorum multi, Oratores in primis et Poetae in aliam linguam ne possunt quidem transferri. Vmbra amplectitur, nubemque pro Iunone, qui versioibus solis confidit.

dit. Accedit et hoc, quod ne recentiores quidem intelligat, nisi qui antiquitatis omnis probe peritus sit. Est, ut hoc utar, *Wielandius* is, quem in sinu gerunt nostri, atque cupidissime legunt, ausim tamen, vel pignore dato, commendare, esse multos eius lectores, qui ne dimidiam quidem plagulam legant, quin haereant. Nullum ego quidem novi ex omnibus nostrae aetatis, qui ab elegantia atque urbanitate commendantur, scriptoribus, qui maiorem habeat antiquitatis omnis, Philosophiae imprimis veteris, cognitionem. Graece idem est doctissimus, Luciani, nisi me omnia fallunt, prae ceteris amator. Legit, quicquid habet vel antiquitas, vel recentiores pulcri atque venusti, quae promittit ita, ut non omnem, quod faciunt alii, historiam narret, sed vno saepe verbo integram historiam comprehendat, quam qui nescit, totius loci elegantiam non capit. Placent mihi (nam non omnia eius legi) Agathon imprimis et Diogenes, in quibus, quanquam possem eadem in antiquis, Diogene Laërtio aliisque, plenius legere, soleo tamen, si quando cupio a severiori Graecorum et Latinorum lectione, quos sciunt, qui me norant, vnice me amare, remittere animum, soleo inquam horas tum aliquot fallere. Qui vir, si posset a se impetrare hoc, ut morum verecundiae rationem haberet maiorem, profecto nescirem, quem ei anteponerem: in quo tamen nolo aliorum sensum regere.

Est etiam alius quem cupide legitis, *Voltaire*, cui si vellem ego negare ingenium inesse summum, multos haberem, qui dicerent contra. Ingenii igitur habet abunde, interioris scientiae parum. Erat tempus, ubi a Voltario profecta tanquam ex tripode dicta viderentur, ubi, quae sanctissima esse debet cuique, religio, eo praecunte ludibrio haberetur. Ibi tum, quo quisque in aula volebat conven-

tibus-

tibusque bellus magis haberi, eo cupidius legebat *Volterium*, ediscebat. Iam vero apud prudentissimum quemque fidem coepit decoquere, sibi suaeque famae superuixit. Demonstrarunt enim non Theologi solum, sed alii etiam, ita, ut nihil dici possit contra, *Volterium* fabulas, non historias vendidisse.

Haec igitur eo valeant, ut discant homines nostri, non satis esse ingenio, pulchrique sensu qualicumque gaudere, sed subigant etiam animum seuerioribus literis, Graeca Latinaque lingua, historia omni, Philosophia praesertim, sine qua nihil videant neque in scientiis, neque in artibus pulchris. Non est, quod quis deterreatur Philosophiae nomine, quae et ipsa his nostris temporibus solet populariter quidem, accurate tamen praecipui.

His vero constitutis Philosophiae pulcri limitibus nolo quidem ad iudicis auctoritatem vultum componere, auctor tamen sum, ut, quam vellet utraque pars sola adhuc regnare in scholis, nunc amicas dent inuicem manus, ita, ut antiquitatis amator remittat aliquid ex rugis, bellus vero illum, austerum quidem, at fidissimum praeceptorem consulat, amet, veneretur. Sic vero fiet, ut iuuenes prodeant e scholis, qui possint ad grauiora aliquando negotia adhiberi, qui iustam doctrinam, sic positis fundamentis, consequantur, e philosophia tamen pulcri capiant hoc commodi, ut scite omnia eloquantur, scribant, peragant. Quae ratio si quotidie magis inualebit in scholis patriae nostrae, decus, quod semper habuit, ea tuebitur. Nec intra spem consistere opus habemus, quum habeat Saxonia nostra PRINCIPEM, qui, ut et literas pulcras, et artes amat ipse et fouet, ita nuper scholis iussit leges conscribi, quae laetiorum vbiq; scholarum promittunt faciem, nec possunt non iuuenes ipsos ad discendas lubentius bonas literas allicere. Dignus

gnus est profecto PRINCEPS noster qui habeat hos tales *Amicos*, qui praeter ceteras laudes, hoc habent praecipui, vt filios ipsos feueriori disciplina, Latinis Graecisque literis imbui iubeant, quo nimirum fit, vt non genere solum in Academiis nostris, literis, doctrina, prae aliis emineant, sed modestiam vero etiam sequantur vnice, quam semper comitem habet assiduam Philosophia pulcri.

Supereft, vt eiusdem in scholis tradendae veram rationem saltem per lancem saturam proponam. Primum igitur, si quis ex me quaerat, an Philosophiae pulcri initia e libro tradenda sint, huic ego responderem: Nondum esse hac in re prouisum scholis, nec extare librum, qui satis accommodate ad iuuentutem pulcri naturam atque regulas praecipiat. Propediem habebimus a *Cel. Schuezio*, qui, post *Klozzii* obitum, Halae humaniores literas magna cum laude profitetur. Videri quidem quibusdam possit inutilem omnino operam impendere, si quis velit in scholis naturam pulcri iuuenibus explicare, quam tantopere vacillet pulcri notio, nec possit adeo definiti. Ad quae quod dicam, quantum *Homium*, *Mosen*, *Mendeli filium*, *Floegelium*, *Riedelium*, alios legerim, non habeo quidem ego, nec fortasse alii; at tamen longius iusto videretur progredi, qui veller inde efficere hoc, vt praecepta omnino veller scholis excludi. Fateor equidem, e solis libris pulcri sensum non magis posse disci, quam morum vrbanitatem a libellis illis, qui verborum honores continent, et salutandi alios praecepta tradunt. Plurimum hic valet ingenium, atque crebra exercitatio; faciunt tamen praecepta, vt firmus atque constans pulcri sensus existat. Libellum itaque *Schuezii* auide expecto, cuius consilium eo magis placuit, quod Logicam Aestheticam coniunxit.

Ut vero vberius de recta Philosophiae pulcri tradenda ratione mentem expromam meam, auctor sim, ut non adolescentes tantum, sed et pueri ad sensum pulcri adducantur. Quod impetrari posse credo, si pueros aduofaciamus, ut naturam, qua est aspectabilis, contemplantur attente, h. e. ut montem excelsum, ut laetiozem campum, ut prata floribus distincta, ut riuum garrientem, ut Iusciniam querulam, ut fulgura ac tonitrua, ut coelum sideribus obfitum, ut, quicquid pulcri naturae indidit Deus, non sine sensu vel videant, vel audiant. Quo fiet, ut quid pulcrum, quid sublime, quid magnificum sit, discant sensim percipere. Quum deinde anni accesserunt, tum ab naturae contemplatione progrediantur ad pulcrum intelligibile, et a sensu res ad vim iudicandi maxime reuocetur. Tradantur scriptores iis pulcri et veteres, et recentiores, et illi quidem ea ratione, qua vult *ὁ πᾶσι Ernestius*, cuius supra verba apposuimus: In recentioribus autem delectus erit habendus, ut non suo iudicio vtantur iuuenes, sed moneantur a magistris, quos legere vtiliter, h. e. ita possint, ut neque pulcri sensus, neque morum castitas detrimenti quid capiat. Moneantur porro, ne pulcrum vbique velint videre, ne quiduis admirentur, stupeantque ad omnia, quod est imbecilli plerumque ingenii signum. Ne reticeamus quidem, quae in veteribus adeo saepe occurrunt vitia, quorum magnam segetem multo dederunt. Multos vero etiam hic video peccare non contemnendos interpretes, nec a sensu pulcritudinis destitutos, qui in Horatio, vel quemcumque alium interpretandum sumserunt, pulcra, egregia omnia prominent, etiam, vbi longe secus esse, idonei iudices videre iam dudum. Sunt praesertim in deliciis quibusdam Ouidius, Senecae, Plinius iunior, ingeniosi illi quidem, qui tamen argutias studiose nimis captant, quorum cogitata, si enucleamus — nihil habemus. *Sua serim*

ferim adeo, vt subinde emendandi adolescentibus dentur miselli scriptores, quos tamen tales esse antea dicamus. Mirifice tum sibi placent imberbes iuuenes, rimantur omnia, falsi sunt saepe; est tamen haec talis exercitatio et magistro iucundissima, et adolescentibus utilis, qui, quae in aliis reprehenderant, tum sedulo cauent ipsi.


Lubeamus deinde, vti ad aliorum, quibuscum viuunt, ita ad suos inprimis mores atque animi motus vel minimos attendere, in quo tantum momenti est ad sensum pulcri, vt praestantissimi habeantur scriptores, qui, naturae humanae indagatores solertes, in notationibus morum, affectibusque eandem ita fideliter exprimunt, vt adduci in rem praesentem videamur. Qua in ratione dominari *Shakespeareum* didici ex *Homo* meo, qui et ipse ex humanae natura mentis omnia sua praecepta deduxit. Tandem vero sensum pulcri eo regamus, vt discant iuuenes virtutem amare, vitia odisse, vt non pulere tantum loquantur, atque scribant, sed per omnem vitam, quod honestum, quod decorum sit, sentiant.

Mallet diutius persequi, quid pulcri sensus, bonaeque omnino literae ad animum valeant. At vero idem illud est, de quo verba facere in Oratione, festo die nostro, habenda, mecum constitui. Ad quam indulgenter atque benevole audiendam, SVMMÆ REVERENDI, PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI, MAGNIFICVS EPHORVS, quotquot scholae nostrae fauent, vt conueniant frequentes, officiosissime atque humanissime rogo. Merseburgi, a. d.

xviii. Dec. A. R. S. c i o i o c c l x x v.







B.I.G.

Farbkarte #13

PHILOSOPHIAE PVLCRI
IN SCHOLIS TRADENDAE
FINES ET RATIO.



AD
ORATIONEM
IN
SOLEMNITATE SECVLARI,

QVAE
A. D. XIX. DEC. A. R. S. CIOIOCCCLXXV.

GYMNASIO NOSTRO

REDIT
HABENDAM,
QVI SCHOLAE NOSTRAE VEL PRAESVNT
VEL FAVENT

OFFICIOSISSIME INVITAT OMNES
IOANNES AVGVSTINVS WAGNER
CONRECTOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



J. G. C. Dressler, d. G. D.

